

nis non sunt exhibenda: interim *Hippocrates* albumina duo vel tria ovi in libra una aquæ diluta dedit in ardentissimis etiam febribus tanquam remedium refrigerans & alvum laxans. Quo coctione magis indurere, eo validiorem ventriculi fabricam requirunt, & *Galeno* teste minus nutriunt. Vitellus oleosa dividit, & aquæ miscibilia facit. Unde resinosa, ac oleosa in mixturis præscribenda, vitello ovi antea solvi debent. Prostat in officinis *oleum vitel. ovorum*, in fissuris labiorum & papillarum efficacissimum. Testæ pulverisatæ, præsertim vero calcinatæ acidum potenter absorbent. Pellicula denique testas interne investiens in vulneribus tegendis, ad aerem arcendum si aqua, aut lacte semper humida servetur, egregium usum habet.

§. 1100.

Prima Classis Cardiacorum sive re- plentia.

Semina, & nuclei.

PISTACHIA suis in nucleis majorem præ amygdalis olei copiam continent: emulsa inde fiunt, quæ corpus exhaustum reficiunt, acre leniunt, & obvolvunt. Quapropter in Phytisi, hæmoptoe, ubi corpus naturali suo balsamo depauperatum est, conveniunt: cavenda autem est ranciditas: accipiuntur num. VIII. vel X. ad ℔. I. aquæ.

SEMINA PAPAVERIS non sunt narcotica, tametsi tota planta illa virtute gaudeat: parantur ex iis emulsiones, scopo demulcendi, & refrigerandi optimæ, quæ, ubi narcosis requiritur syrupo diacodii edulcorantur. Si autem semina hæc somnum inducere valeant, inde fit, quod assumpta acrimoniam leniendo quietem blandam, sicque somnum concilient. Cæterum ex seminibus quoque oleam exprimitur, quod non tam cito rancescit, quam oleum amygdalarum.

Fru-

Fructus horæi.

POMA tempore æstivo, ubi subtilissima è corpore dissipantur, profunt: sensim enim resolvunt, & evacuant: hinc in acutis, dum densitas humorum, & putredinis metus adest, leniunt: ac putredini resistunt. Infantibus omnia medicamenta respicientibus, Poma cocta exhibentur, quibus sachari loco Manna scopo purgandi additur. Ubi in morbis vires erigendæ sunt, cum sacharo, succo citri, & cinnamomo parari possunt. Pulpa denique Pomorum affatorum ad oculos inflammatos cum successu applicatur.

CYDONIA. Poma immatura adstringunt, decocta vim diureticam habent: si radula radantur, succum austerum fundunt, qui recens statim assumptus ab unc. I. ad unc. II. vomitum movet; si parum steterit, adstringit, & roborat. Prostat *Miva Cydonior.* in laxitate ventriculi, & intestinorum, in *Acetiværia* in diarrhæa, & dyssenteria à laxitate orta, insignem usum habens: præscribitur potissimum in condito. *Semina cydoniorum* sunt mucilaginosæ, quæ interne raro adhibentur; interim tamen cum seminibus papaver. forma emulsi parva quidem copia post vomitus, & dyssenterias enormes præscribi possunt. *Mucilago seminum cydon.* aqua rosarum extracta in fissuris labiorum, & papillarum adhibetur, & in collyriis ad oculorum inflammationes, vel cornæ exulcerationes cum successu applicatur: sed mucilago spissa admodum sit oportet: qualem efficit seminum dr. ss. in uncia I. aquæ rosarum soluta. Locus item ab applicatis cantharidibus adfectus, lacte prius elutus, hac mucagine demulcetur. In acutis vero, si lingua dura sit, ac rigida, suum quoque usum habet: siquidem eandem humectat, & emollit. In asperitatibus faucium, earumque excoaratione cum syrupo mororum quandoque præscribitur: singultum ab acrimonia ortam aliis incassum adhibitis sæpe feliciter tollit. In excoarato denique intestino recto clysmatibus frequenter, & cum successu hoc semen additur.

AURANTIA sunt fructus carnosii fundentes succum saponaceum, solventem, & putredini resistentem, qui gratum æstate refrigerium conciliat, & aqua simplici, vel decocti hordei dilutus, sacharoque edulcoratus in morbis putridis biliosis,

&

& acutis inflammatoris pulcherrimum medicamentum præbet; & in scorbuto alcalino summe prodest. *Cortices aurantiorum* odorem gratum, saporem amarum, & acrem habent, qui tum recentes, tum sicci magnam olei fragrantissimi & calidissimi quantitatem largiuntur: virtute vero gaudent carminativa, roborante, mucum incidente, & intestina stimulante. Eam ob causam præscribuntur in infusis aquosis & vinosis, carminativis, roborantibus, & per epicrasin laxantibus. Prostat *oleum destill. corticum aurant.* quod ad guttas aliquot forma Eleosachari exhibetur: quanquam Eleosacharum etiam paretur, sacharum corticibus tantum affricando. Habentur adhuc alia in officinis præparata, uti e. g. *aqua stillat simplex, & composita; spiritus; essentia cortic. aurant. cortices conditi; syrupus cortic. aurant. condit.* quæ omnia gratam amaritiam, cum virtute ventriculum roborante possident. Prostat denique *aqua Naphæ*, quæ ex floribus recentibus destillatione producitur, nervis amica.

PYRA cum pomis plane conveniunt.

MALA PERSICA matura copiosum subdulcem, amænum, & subacidulum succum continent, qui virtute sua saponacea humores spissos solvit, reficit, refrigerat, & urinam promovet: hinc in morbis acutis, & calidis biliosis prodest. Fructus aut crudi coquantur, aut sacharo condiuntur. *Nuclei* à virtute diuretica laudantur, & ad emulsionem adhibentur. *Flores arborum Persicarum* odorem gratum habent, qui aquæ calidæ infusi leniter laxant, & diuresin promovent. *Syrupus florum Persicorum* alvum solvit, & infantibus ad quatuor aut quinque cochlearia, five ad unc. I. conducit. *Conserva* quoque easdem vires habet; *Aqua* tandem florum grato ac reficiente odore prædita inter analepticas recensetur.

MALA ARMENIACA magis sunt odora, sed minus succulenta, quam mala Persica, cæterum idem præstant.

PRUNA varias continent species; *Damascena, Brignolensis, & sylvestris.*

DAMASCENA. Hæc plerumque in officinis laudantur: alvum laxant, spissos humores solvunt, & putredini resistunt: adeoque in morbis acutis, biliosis; in diarrhæis, ac dysenteriis ab hac causa oriundis conveniunt. Decocta cum senna, & Rheo debilibus ventriculis profunt; decoctum vero Prunorum

rum cum fenna, & manna pueris datur. Prostat *Electuar. de Prunis Lenitivum*, quod ab unc. I. ad unc. I.ß. pro dosi purgante exhibetur.

BRIGNOLENSIA exsiccatâ ad nos feruntur: alvum minus laxant, quam priora: & lenem vim roborantem habent: in morbis acutis linguam siccam demulcent. In decoctis quandoque præscribuntur: & ob gratum refrigerium & vim roborantem hydropicis conveniunt, quorum sitim simul fallunt.

SYLVESTRIA vires adstringentes, liquida inspissantes, & solida roborantes habent; *Rob Prunorum sylvestrium* summe efficax est, ubi adstringendum, & roborandum erit: hinc in malis faucium, veli penduli palatini, incipiente primum non vero promota jam inflammatione cum vino confusum & mistum pro gargarismate inservit.

CERASA vel sunt dulcia, vel acida, quorum qualibet species succum dat gratum, saponaceum, nitrosum, sanis juxta, ac ægris, in morbis tum acutis, tum Chronicis summopere convenientem: virtute siquidem solvente, refrigerante simul, & nutriente gaudent: assumuntur vel cruda, vel recenter cocta, aut saccharo condita, aut denique exsiccata: apprime vero profunt iis in morbis, in quibus corrupta bilis in primis viis hæret: In febribus acutis inflammatoriis, in pleuritide, in peripneumonia &c. optime conveniunt. In chronicis, ubi litteratorum præcordia atra bile gravantur, & raptus versus superiora contingit, sicque species quædam melancholiæ, aut mania oritur, cerasa inter alia solventia primum locum tenent: magna tamen copia assumi debent, ita quidem, ut intra paucas septimanas ad libras centum deglutiant: horum sub usu incidunt in diarrhæam salutarem, quæ si nimis debilitet, roborantibus sistenda erit, tum vero iterum provocanda. Ex nucleis emulsa parari possunt in morbis Renum proficua; *Aqua cerasorum nigrorum* vires nullas habet.

MORA matura copia majore assumpta alvum blande absque turbis movent, spissos humores solvunt, refrigerant, putredini resistunt: hinc obstructionibus melancholicorum solvendis opitulantur; In acutis quoque, ut cerasa profunt. Mora immatura succum adstringentem habent, ex quo cum melle paratur *Diamoron Nicolai Myrepsi*, quod est detergens, ac roborans, vitia,

vitia oris scorbutica curans: eum in sinem infuso florum rosarum rubrar. additur, ut fiat gargarisma: infantibus tamen non facile est adhibendum; virtutem enim suam cupro debet, quod deglutitum est venenum. Prostat *Syrupus*, & *Rob Mororum*, quæ in morbis calidis potui, & mixturis addita sitim fallunt, humores spissos solvunt, & putredinem præcavent. *Spiritus Serici* etiam hic adjungi potest, qui in convulsione infantum ab acida acrimonia orta cum syrupo conveniente ad guttas aliquot, uti Spirit. CC. dari potest.

UVÆ PASSÆ, five *passulæ*; aliæ sunt majores, aliæ minores: maximæ in officinis *Damascena*, minimæ *Corinthiæ* vocantur. Omnes vero gratum, dulcem saporem habent, & præcipue in usus alimentarios adhibentur. Minores quandoque in medicina usurpantur: ubi enim leniendum, & acre obvolvendum est, decoctis pectoralibus, & ptisanis adduntur: alvum leniter laxant; sed acini, qui adstringunt, separari debent. Succus uvarum exacinarum solvens est: reliquæ uvarum expressarum *vinacea* dicuntur: his virtus roborans & austera inest; unde ad partes paralyticas, ad artus convulsos scopo solida firmandi, & nervos roborandi applicantur, atque in dolore *Ischiatico* sæpe multum proficiunt.

RIBESIA RUBRA succum fundunt acidum, saponaceum, solventem, & putredini contrarium: hinc in acutis potus gratissimus paratur, dum libræ II. vel III. Ribesiorum cum decocto hordei coquantur, & colaturæ sacharum, succus citri, vel syrupus acetositat. citr. ab unc. I. ad unc. I. ꝑ. pro lb. I. aquæ additur. *Rob Ribes.* aqua Decocti hordei, aut avenæ dilutum satis efficax est, ubi calor, siis, & spissitudo inflammatoria peccat: in ore servatum sitim hydropicorum compescit.

RIBESIA NIGRA ex frutice proveniunt, cujus folia & fructus magis sunt aromatici, cum sapore acido distincto ab acido rubrorum. *Turiones* hujus fruticis, antequam in folia abeant, contra nephritidem calculosam laudantur; vires enim diureticas habent, & balsamicum quid, balsamo Peruviano haud ab simile spirant: sed ob metum inflammationis non conveniunt. *Folia* infusa in tussi pituitosa, & Asthmate à simili causa nato sæpe medelam tulere, atque in labe purulenta renum non minus profuerunt: nocent autem ubi metus inflammationis, aut

dispositio in hæmoptoen adest. *Bacca ribes. nigr.* apud Septentrio-
nales populos tempore stranguriæ à potuum fermentatorum re-
centium & antiquorum promiscuo usu ortæ cum spiritu Juniperi
ad unum cochleare optimo cum successu adhibentur: siquidem
eamdem fatis cito tollunt.

BACCÆ RUBI IDÆI succum fragrantem, solventem cum
dulcedine fatua habent, ex quibus in morbis acutis, biliosis, additis
moris, vel ribefiis cum sacharo decocta gratissima & saluberrima
præparantur: sed ob fragrantiam vase clauso coqui debent.
Asservatur in officinis *syrupus*, qui rite paratus bene fragrat: hic
syrupus ad unc. II. *libris* V. decocti hordei mistus in acutis præ-
stantissimum, putredini resistentem, acre inviscantem, & la-
xantem potum præbet, qui etiam, ubi atra bilis in hypochon-
driis stabulatur, suo successu non caret. *Radix* plantæ à vi diu-
retica laudatur, & decocta tanquam remedium ad aquas hy-
dropicorum educendas commendatur.

BACCÆ SAMBUCCI. Arbor sambucus in omnibus suis
partibus medicata est. *Bacca* succum rubrum continent, ex quo
cum sacharo *Rob* paratur, quod in morbis acutis & chronicis
summi est usus: omnia enim sine turbis solvit, & spissitudinem
inflammatoriam attenuat: quare in pleuritide, in peripneumo-
nia &c. pulcherrima præstat. In illis morbis, qui in putredi-
nem tendunt spirit. *Æris* per campan. additur, qui colorem hu-
jus *Rob* simul mire exaltat: alcalina vero cum eo non sunt
præscribenda; nam colorem luridum faciunt, & turbant. Do-
sis non est limitanda: uncia III. aut IV. cum mensura una de-
cocti hordei miscentur. *Flores* fortem, & amænum fatis odorem
habent; vires illis insunt emollientes, solventes, & anodina:
atque ad gargarismata, cataplasmata, balnea &c. adhibentur.
Si flores sambuci cum lacte dulci, vel cum lacte ebutyrato in-
star potus Théæ infundantur, & infusum illud interne assuma-
tur, ac fomentum aut cataplasma tale simul externe applicetur:
præclarum evadit remedium ad inflammationem erisipelatosam.
Idem infusum quoque in cancro exulcerato prodest, pulchre
enim aperit, & diaphoresin auget. Prostat *aqua stillat. florum*,
quæ spissos humores dividit, ac diaphoresin etiam promovet.
Acetum florum in doloribus capitis bonum est repercutiens. *Folia*
sambuci contusa ad tumores cedematosos, scirrholos, ad bubones,
cum

cum aliis foliis aromaticis apponuntur. *Cortex Medianus Sambuci*, nauseosus, & amarus vino, aut cerevisiæ infusus, vel succus ejus fortiter solum expressus valide purgat, & hydropicorum aquas per alvum educit. Dosis est in infuso unc. I. ad unc. II; succi vero expressi à dr. III. ad dr. IV. aut etiam ad unc. I: additur ei plerumque ob nauseosum saporem syrupus de spina cervina ad drach. I. aut II.: hic enim satis acidus est, & gratus. *Turiones* recentes in acetariis adhibentur, & purgant. *Semina* baccarum etiam in pulvere ad drach. I. in infuso vino-so ad unc. ꝑ. tanquam hydragogum laudantur. *Fungus* denique *Sambuci* adstringit.

EBULUS Sambuco simillimus est, & eosdem usus habet.

FRAGA idem præstant, quod cerasa, mora &c. comeduntur antea diluta, cum lacte aut vino, addito simul sacharo; aqua tamen vino esset præferenda. Si cerasa cum fragis in mortario contundantur, & sensim addatur aqua decocti hordei, vel serum lactis, colaturæ succus citri, & sacharum admisceatur, fit potus incomparabilis in acutis, solvens, putredini resistens, ac sitim levans. Possunt ex omnibus modo recensitis in iisdem morbis acutis pulcherrima talia decocta parari ex gr.

Recip. Fragor. ꝑ I.

Cerasor. rubr. ꝑ ꝑ.

Panis albi tost. unc. III.

Coque per horam cum aqua pura colaturæ ꝑ. III. adde

Sachar. albi q. s. ad gratiam.

Bibat æger omni hora unc. II.

Vel

Recip. Ribes.

Moror.

Rubi Idæi aa. ꝑꝑ.

Panis albi tost. unc. III.

Coque ut ante, colaturæ addatur sacharum, vel syrupus citri, berberum &c. ad unc. II. *Radix, folia*, & tota reliqua planta vim adstringentem habet, & ab omnibus Botanicis tanquam diuretica laudatur.

Fructus pulposi.

CUCUMERES *Sativi*, & *sylvestres* habentur. *Sativi* sunt *facui*, succum mucilaginosum continent: leve satis nutrimentum præbent debilibus, quibus humores acres sunt, aut qui sanguinem ob acrimoniam spuunt. Commendantur etiam hæmorrhoidariis, & feбри ardente laborantibus, ubi omnia exsiccata sunt: siquidem leniunt, humectant, ac refrigerant: id quod *Rajus* feбри ardenti decumbens proprio in corpore expertus est, & immortalis *Hippocrates* confirmat, qui carnem, seu pulpam jusculis vel aquæ incoctam ad eundem morbum laudat. Neque fructus isti magis sunt flatulenti, quam reliqui fructus horæi. *Virides* & parvi aceto, vel muria condiuntur, & mensis adhibentur. *Semina* cum seminibus *cucurbitarum*, *citrullorum*, & *melonum* inter IV. frigida maj. recensentur, ex quibus emulsiones parantur refrigerantes, acre obvolventes, & nutrientes: hinc ad *Ischuriam*, & *stranguriam* maxime laudantur. In *dosi* non peccatur: pro ut enim magis vel minus *spissæ* esse debent, unc. I. vel unc. I. ꝑ. aut etiam unc. II. pro ꝑ. I. aquæ præscribuntur. Ingrediuntur hæc semina pulverem *diatragacanth. frigid.*, qui scopo demulcendi vel solus vel cum spermate ceti in morbis pectoris datur: sed recens paratus sit oportet, secus potius exasperat.

CUCURBITÆ sola fere figura distinguuntur à cucumeribus. *Semina* eundem prorsus in usum adhibentur.

MELONES plurimas species numerant; quarum tamen duæ carne viridi, & rubra optimæ sunt. Jejuno passim ventriculo optime comeduntur; non enim adeo refrigerant, ut multi credunt, id quod aroma satis volatile docet. Vis solvens, ut omnibus fructibus horæis, etiam illis inest. *Semina* inter quatuor frigida maj. recensentur, & emulsionibus, ut priora sunt aptissima. Exemplum talis emulsionis foret sequens.

Recip. Semin. Melon.

————— Cucumer. aa, unc. I. ꝑ.

Fiat I. A. cum aqua decocti hordei emulsiõ: colaturæ pinthæ I. adde syrups. Diacod. unc. I.
ut æger pro ratione sumat, omni hora, aut omni 2horio unc. II.

Olc-

Olera & Radices.

ACETOSA alia est *vulgaris* five *pratensis*; alia *rotundifolia* five *hortensis*. Utraque virtutem habet saponaceam, solventem, & putredini resistantem. Quapropter folia decocta in morbis biliosis, putridis, in scorbuto putrido, in diarrhæa simili profunt. In acutis, cum Taraxaco & Gramine bene decoquantur, & jusculis nutrientibus cum successu adduntur: in scorbuto autem cum Nasturtio aquatico cum Cochlearia &c. præscribuntur. Proportio ad libram unam aquæ simplicis, decocti hordei, vel feri lactis est horum foliorum m. I. succus quoque expressus quotidie ad uncias aliquot haustus in scorbuto alcalino pulchrum usum habet. Pauperum decoctis antiscorbuticis pro succo aurantior. Aut succo citri succus acetosæ misceri potest. *Radix* amara est, austera, & adstringens, quæ exsiccata & decocta aquam pulchro colore rubro tingit, atque à dr. I. ad dr. II. pro libra una aquæ accipitur.

SCORZONERA. *Radix* recens satis fragrans est, & cum jusculis cocta nutrimentum præbet demulcens; quem in finem etiam in morbis acutis adhibetur. Vasa leni adstrictione quoque roborat, humores compingit, diaphoresin blande promovet. Dosis non est limitanda; uncix tamen duæ ad libram I. aquæ sufficiunt. Ubi diaphoresis est promovenda uti ex gr. in diarrhæa à retento perspirabili nata, ex Radice scorzonera, secum aliis, uti sunt Rasura ligni Sassafras, Ligna trium Santalor. Glycyrrhyza &c. decocto-infusa egregia parantur: verum recentes sint hæ Radices; in exsiccatis enim maxima vis perditur. Prostat in officinis *aqua scorzonera*.

TRAGOPOGONUM. Virtute & modo exhibendi hæc radix præsertim recens priori est simillima.

SISARA edulium bonum, & suave præbent: in Medicina iis non utimur: ceterum ut scorzonera adhiberi possent.

